



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. cxx.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De eadem re. Cap. CXX.

Ex cōcil.
Nicæno,
cap. 17.

Quoniam multi sub regula constituti, auaritiam & turpia lucra sectantur, oblique diuine scripturae centis, Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, mutuantes centesimas exigunt, iuste censuit sancta & magna synodus, ut si quis inuentus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut ex adinventione aliqua vel quolibet modo negotium transiens, aut hemiola, id est, fescupla exgens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, deiciatur à clero, & alienus existat à regula.

De eadem re. Cap. CXXI.

Ex epist.
Leon. pa.
cap. 4.

Illud etiam duximus præmonendum, ut sicut non fuerit ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercere finis attentet.

De eadem re. Cap. CXXII.

Ex cōcil.
Tarraco
nēsi, ca. 3.

Quicumque in clero esse voluerit, emendi vilius, vendendi carius studio non utatur.

De eadem re. Cap. CXXIII.

Ex epist.
Leon. pa.
cap. 3.

Ne hoc quoque prætereundum esse duximus, quosdam turpis lucri cupiditate captos, usurariam exercere pecuniam, & fœnore velle ditescere. Quod non dicam in clericis in clericali officio constitutos, sed & in laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus.

De eadem re. Cap. CXXIII.

Ex conc.
Cartha.
cap. 16.

Item placuit ut clericus si commodauerit pecuniam, pecuniam accipiat, si speciem, eandem speciem quantum dederit accipiat.

Item de usurariis. Cap. CXXV.

Ex cōcil.
Aureli.
cap. 36.

Vt presbyteri à turpibus lucris & usuris non solum ipsi abstineant, verum etiam plebes sibi subditas abstinere instruant.